

præpositis, plebanis, cantoribus, aliisque personatum obtinentibus, necnon presbyteris, sub certis pœnis scudere legi civili et medicinæ, moderata est a Bonifacio VIII, cap. *Statutum 1*, hoc eod. tit. in 6. declarante hujusmodi prohibitionem non extendi ad clericos simplices, curam animarum habentes, nisi eorum ecclesiæ habeant sub se capellas, id est, ecclesias in quibus instituuntur clerici perpetui, cum in hoc casu similes parochi reputentur tanquam dignitates, ut animadvertit hic Glossa 2, ex quorundam sententia. »

ADNOTATIO LXVI.

Lib. IV. Decretal. Tit. I, De sponsalibus et matrimoniis, § VII, n. 226; pag. 358.

DE SPONSA INGREDIENTE RELIGIONEM, PRÆSERTIM SI PROMISSIONEM JURATAM EMISERIT.

« Si de simplicibus sponsalibus agatur, inquit Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. XIII, cap. XII, n. 8, hoc est de promissione nubendi certo viro facta ac per mutuum repromissionem ab ipso acceptata, quamvis etiam juramenti religione fuerit utrinque firmata, dummodo ultra processum non fuerit, neque sponsi carnali copula sese cognoverint, prohiberi non potest mulier quin monasterium ingrediatur, exactoque probationis anno, solemniter religionis vota profiteatur. Ita rescribit Alexander III in decretali *Commissum, De sponsalibus*, quo tamen loco subdit satius fore mulieri si, antequam monasterium ingrediatur, ut juratam fidem præstet, matrimonium contrahat.

« Fraternitati tuæ taliter respondemus quod tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere, et postea, si elegerit, ad religionem migrare. » Textum hunc nonnulli ita interpretantur ut consilium potius quam præceptum præ se ferat, uti est penes Sanchez. *De matrim.*, lib. I, disput. XLIII, n. 7. Alii tamen recte perpendunt pontificiam constitutionem locum sibi vindicare in ea facti specie qua mulier de religionis ingressu deliberans, nondum reipsa monasterium ingressa fuerit. In his enim circumstantiis potest utique sponsa, absque eo quod admirationem ingerat, jurisjurandi fidem liberare, matrimonium inire, exindeque ad claustra properare: quod profecto non eveniret, si mulier jam monasterium ingressa, subinde aut in ipso monasterio manens, matrimonium iniret, aut ex eo egressa nuptias celebraret, et postea claustra repeteret. Ita disserit Gonzalez in *Commentariis ad præcitatam* textum, latiorique calamo rem persequitur Pirhing ad hunc tit. lib. IV, tit. I, n. 52 et 53...

« Verum, quamvis dispositio memoratæ decretalis *Commissum* aptari nequeat propositæ juratæ sponsioni contrahendi videlicet simulque consummandi matrimonium; huic tamen omnino con-

gruere videtur effatum illud: « Propositum aut promissum non infringit qui in melius illud commutat, » quod legitur in decretali *Pervenit, De jurejurando*. Neque in jurata consummandi promissione videtur contineri casus quo ipsi sacri canones a consummatione abstinendum probant atque collaudant, juxta alteram decretalem in cap. *Ad nostram 20, De jurejurando...* »

ADNOTATIO LXVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. I, § VIII, n. 324, pag. 379.

DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS EX SPONSALIBUS ORIENTE.

Non sine admiratione deprehendimus quod auctor noster hoc titulo nec ullam verbum fecerit de impedimento honestatis publicæ ex sponsalibus validis oriente. Questionem illam, titulo IV ejusdem libri IV decretalium tractatam, benevolus lector inveniet.

ADNOTATIO LXVIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. I, § IX, n. 341; pag. 382.

MATRIMONIUM METU CONTRACTUM NON EVADIT VALIDUM PER COHABITATIONEM ET COPULAM.

Hic auctor noster necessario corrigendus est; nam, sicut docet Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 638, « in decretali *Ad id*, cap. 21 huj. tit. statuitur matrimonium per vim contractum cohabitatione convallescere et sic per plusquam præsumptam carnalem copulam subsecutam. Verum huic sanctioni derogatum est a concilio Tridentino, illud nullum declarante, si ulterius non contractum fuerit coram paroco et testibus ut cap. I, sess. XXIV, *De reform. matrim.* Cui irritanti concilii legi accessit in hac subjecta materia clarissima declaratio Congr. Conc. in *Panormitana nullit. matrim.*, sub die 30 sept. 1719, relata in Thesaurio Resolut. ejusd. Congr. apud Liverzani, t. I, pag. 241, per hæc verba: « Sacra Congr. Cardinalium » Conc. Trid. interpretum sæpius respondit hodie » post Tridentinum concilium, matrimonium metu » contractum, et purgato metu per cohabitationem » cum carnali copula aliosque actus non convaldi » dari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus » ejusdem concilii forma. » Et concordat alia resolutio in *Constantinopolitana*, 16 dec. 1634, lib. XV *Decretor.* fol. 140 a tergo. »

ADNOTATIO LXIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. I, § X, n. 352; pag. 384.

DE CONSENSU PARENTUM IN MATRIMONIO CONTRAHENDO.

« Cum in decretali *Inter opera*, cap. 20 huj. tit. declaratur meritorium esse et in peccatorum remissionem cedere matrimonium contrahere cum mulieribus impudice viventibus, etiam meretriciam artem exercentibus, cumque ex minus germano intellectu pontificiæ declarationis filifamilias argumentum desumere possent id sibi licitum, etsi aut parentibus, aut familiæ maximum inde incurreretur dedecus; ideo placuit eam transcribere una cum recta ejusdem interpretatione ne dictis filiis libera præbeatur ansa ad similia matrimonia, invititis parentibus contrahenda, cum manifesta læsione tam juris naturalis quam divini contra quartum decalogi præceptum quo filii obstringuntur, et quidem sub pœna peccati lethalis in re potissimum adeo gravi, obedientiam et reverentiam præstare. Quæ conjugia tanquam illicita semper detestata est etiam Tridentina synodus cap. 1, sess. XXIV, *De reform. matrim.* et Benedictus XIV const. *Satis nobis*, 17 nov. 1741, § IV, ea reputat tanquam fontes ex quibus quamplurima gravia mala et incommoda oriuntur. Quapropter § VII impense monet episcopos ut in illis impediendis toti sint ne facile filiis inobediendiæ occasionem præbeant.

« Recta igitur hujus pontificiæ declarationis interpretatio ea certe est quam, ex Natali Alexandro desumptam, solide ratiocinando, refert clarissimus vir Christophorus Cosci, *De sponsalibus filiorum familias*, vol. II, n. 150, et seqq. per hæc verba: « Huic etenim objectioni opportune respondet Natalis Alex. *Theol. moral.*, t. VI, lib. II, de matrim., cap. II, art. 11, de consens. clandest. reg. 24, vers. sexto, ubi viro qui sui juris est meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem » ut eam a peccato revocet, idque in remissionem peccatorum proficere respondet Clemens III, imo Innocentius III, ut supra innuimus. Laudatus igitur textus procedit quoad eos qui sunt sui juris, nec ullo jure obligantur aliorum petere consilium, ac exequi præceptum, quemadmodum filifamilias parentum consilium petere eisque obedire tenentur, idque clarius explicat idem Natal. Alex., loc. cit. cap. II, art. I, reg. 15, pag. 466, ibi: *Filius nanque prorsus tenetur obedire patri prohibenti ne ducat uxorem etc. male moratam aut infamem, vel disparis longe conditionis. Tenetur enim quisque lege naturæ periculum suam vitare, honori suo consulere, familiæque suæ dignitatem, vel honestatem sartam tectam tueri. Tenetur parentibus justa præcipientibus obedire. Nec unquam est temere præsumendum quod aliquando Summus Pontifex eos ad indignas nuptias allicere voluisset quos etiam dignas contra here, inscis vel invititis parentibus ecclesia sem-*

per defestata est atque prohibuit, et quidem » cohærenter dispositioni juris naturalis ac divini » ex quarto decalogi præcepto manifestissime resultanti, et quemadmodum noluit allicere ad » hujusmodi matrimonia eos qui emisissent votum » simplex castitatis ne illos induceret ad peccandum, ita nec filios familias ne peccarent contra » quartum decalogi præceptum allicere voluisse » dicendum.

» Nec insuper præsumendum venit quod Papa » reliquos, etiam nobiles honestosque viros, quamvis essent sui juris, in dedecus familiæ et propinquorum ad similes indignas nuptias invitare » voluerit, cum indubitati juris sit quod, quemadmodum in rescriptis et gratiis ita in elargiendis » indulgentiis nunquam SS. Pontifices intellexerunt tertio præjudicium inferre ut ex vulgatis » text. in cap. *Ad aures 8, De rescriptis*; cap. » *Super eo 15, De off. et pot. jud. deleg.* tradunt » communiter doctores quos cumulat Barbosa, in » diet. cap. *Super eo 15, n. 3*; Koning, *Princ. jur. can.* lib. I, tit. III, § IX, n. 40, vers. regula » tertia, et potissimum ubi agitur de iis quæ juri » naturali adversantur, ut ex Fulgos. cons. LXI, n. » 4, prout essent nuptiæ sive a filiis, sive a quibuslibet aliis contractæ cum dedecore parentum, fratrum, sororum, atque totius familiæ, veluti » communi nedum theologorum, sed et juris interpretum, sanctorum Patrum, ac plurimum Summorum Pontificum auctoritate, ac solidissimis » argumentis huc usque comprobavimus. » (Giralduus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 657.)

ADNOTATIO LXX.

Lib. IV. Decretal. Tit. I, § X, n. 351; pag. 390.

ERRORES CIRCA MATRIMONIUM CHRISTIANUM A SANCTA SEDE NUPERRIME PROFLIGATI.

In litteris apostolicis *Quanta cura*, 8 dec. 1864, sic se habet Syllabi § VIII:

« Errores de matrimonio christiano.

» LXV. Nulla ratione ferri potest Christum erexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. — Propositio jam damnata litt. apostol. *Ad apostolicam*, 22 aug. 1851.

» LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. — Ibid.

» LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. — Ibid. et alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit a qua impe-

dimenta existnetia tollenda sunt. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 jun. 1851.

» LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa quod a civili potestate mutuata erat. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

» LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. — Ibid.

» LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere. — Ibid.

» LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit. — Ibid.

» LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851; *Lettera da S. S. Pio IX al re di Sardegna*, 9 sept. 1852; alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860.

» LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851; alloc. *Acerbissimum*, 17 sept. 1852.

» N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846, posterior in Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 jun. 1851. »

Cf. A. C. Peltier, canonicum honorarium Ecclesiæ Remensis : *La doctrine de l'Encyclique justifiée*, in 8°, Remis, apud auctorem.

ADNOTATIO LXXI.

Lib. IV. Decretal. Tit. II. De desponsatione impuberum, n. 3, pag. 391.

DE JURE PATRIS FILIUM IMPUBEREM MATRIMONIO TRADENDI.

In decretali *Tua nos*, cap. 4. huj. tit. statuitur quod filium adhuc impuberem, cujus voluntas nequit discerni, possit pater cui vult matrimonio tradere, ita ut filius, postquam pervenerit ad perfectam ætatem, scilicet ad pubertatem, omnino debeat hoc adimplere. « Wagnerek alique admittunt filium regulariter non teneri implere sponsalia absque suo consensu promissa, cum quoad matrimonium sit liber ac sui juris, ideoque decretalem hanc et alios canones, qui necessitatem hac in re videntur filiis imponere, restringunt ad casum quo multum interest parentum vel familiæ, et multo magis boni publici, v. g. ad componendas graves inimi-

citias inter parentes et consanguineos vel principes

» Quanquam vero huic, aliisque similibus casibus et ego subscribam, tanquam appendici, dico tamen sive hanc, sive alias, si quæ sunt, decretales non esse amovendas a statu quæsito regulæ generalis quem habent, proindeque earundem præscriptum, quemadmodum et illud aliarum legum generalium, restringendum non esse ad casus per accidens contingentes, sed esse intelligendum per id regulariter et secundum quod ut plurimum evenit. Lex enim, ut inquit D. Thomas, respicit id quod ut plurimum evenit. Quare dico responsum Pontificis esse intelligendum de sponsalibus initis pro filio, qui nondum pervenit ad sufficientem rationis usum; vel si jam septennium complevit una cum usu rationis, Pontificem loqui in suppositione quod filius proprio consensu ratificet contractum; vel denique hanc decretalem, quoad hoc responsum, correctam fuisse a Trident. cap. 1 et ix, sess. XXIV, *de Reform. matrim.* Primæ interpretationi fundamentum præbent illa verba «cujus voluntas nequit discerni;» secundæ quia etiam Hormisdæ Pontifici erat probe notum absque mutuo contrahentium consensu non valere matrimonium.

Nec obstant subsequenter verba : « Postquam » filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino » debet adimplere. » Id enim intelligitur de debito honestatis non vero necessitatis, ut cum Glossa explicant doctores communiter. Siquidem verbum *debet*, etiamsi ei præcedat dictio *omnino*, quandoque importat honestatem non necessitatem, prout ex Glossæ textu notat hic Panormit. circa finem.

» Tertie demum assertioni fundamentum præbet ipsummet Trident. loco cit., cap. 1, anathemate damnans eos qui affirmant parentes posse rata vel irrita facere matrimonia filiorum. Item consensus doctorum unanimiter asserentium quod filii, quoad hoc, sint sui juris. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 666.)

ADNOTATIO LXXII.

Lib. IV. Decretal. Tit. III. De clandestina desponsatione, § I, n. 47, pag. 402.

DE MATRIMONIIS CONSCIENTIÆ.

Matrimonium conscientie, inquit Benedictus XIV, *De syn. d. œc.*, lib. XIII, cap. xxiii, n. 12, est illud quod evulgari et manifestari non debet quoad conjugibus ipsis illud publicare non placuerit.

» Quamvis autem is semper fuerit Ecclesiæ spiritus ut matrimonia publice celebrarentur, sicuti quoad præterita tempora erunt ex sex primis canonibus a Gratiano relatis quæst. V, causa 30; et quoad tempora nostra etiamnum durat, cum a Tridentina synodo renovatum fuerit concilii Lateranensis IV decretum de publicis denuntiationibus matrimonii celebrationi regulariter præmittendis; cum tamen plurimi dentur casus in quibus su-

ADNOTATIO LXXIII.

perior necessario dispensare debeat a dictis denuntiationibus et matrimonia conscientie permittere, contrahenda scilicet coram parcho vel aliquo sacerdote specialiter deputato, et duobus testibus familiarissimis, ut semper occulta remaneant : ideo in iisdem certis casibus hæc hodie ab eadem Ecclesia non improbantur.

» Quia vero non levia mala et absurda ex hujusmodi occultis matrimoniis sæpe nascebantur, laudatus Benedictus XIV, ut opportune iis obviam iret, regulam tum in illis contrahendis cum in prolibus exinde ortis custodiendis præscripsit in constitutione *Satis vobis*, 17 nov. 1744.

» In hac constitutione clare statuitur hujusmodi occulta matrimonia nunquam evulganda esse, excepto casu de quo expresse cavetur in § 12, ibi : « Mandamus matrimonia occulta a vobis evulgari » et nota fieri, si certo vobis constiterit ex aliquo » matrimonio occulto procreatum fuisse sobolem » et baptizatam suppressis parentum nominibus, » nulla præstita vobis notitia, ut par erat, ab illius » parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos. »

» Sed quid, si eadem non evulgando scandalum oriatur, quod indubitanter contingere potest, in parvis præsertim oppidis ac in vicinia, respectu eorum qui, secreta hæc matrimonia ignorantes, videntesque occultos conjuges istos continuo se maritali affectu tractare, aut saltem secum invicem sæpe frequentare, eos concubinarios vel reputant, vel de iis palam ac si tales essent obloquuntur

» Circa hoc dubium sæpius ego consultus, fui in sensu evulganda omnino esse, et quidem a parcho, cujus præcipuum munus est scandala a populo sibi commisso remove. Cum vero præfatum scandalum eidem parcho innotescere possit, vel quia parochiani hunc in finem ipsum adeunt ut illud impediatur, vel quia nemine etiam reclamante publicum est. In primo casu satis erit, consulto tamen prius episcopo, eis suadere sibi constare tuta illos conscientia simul cohabitare posse. In secundo autem casu muneri suo satisfaciet, si serio monuerit dictos occultos conjuges ut, vel secretum matrimonium evulgent, vel eo modo se gerant quo scandalum omnino removeatur : quod quidem sub mortali peccato avertere tenentur, tam lege naturali quam divina. Quod si post seriam monitionem evulgare detrectent, onus erit parcho episcopum et de scandalo et de hac conjugum reluctantia certiore reddere, cujus partes erunt, quando nullum aliud suppetat remedium dictum scandalum avertendi, innotescere conjugum manifestare.

» Neque in his casibus manifestatio adversatur menti Pontificis præcipientis ne hujusmodi matrimonia evulgentur, excepto casu in § 12 expresso; cum et ipse § 2 optime animadvertit per occultam matrimonii celebrationem « non rependi illata » per scandalum dispensia, » ideoque, quoties hoc adsit, ut plurimum contingit, dicendum est tacite declarasse et in tali casu manifestandum esse.

» Quæri hic tamen posset quid consilii capiendum si ex hujusmodi manifestatione, sive ab episcopo, sive ab ipsismet conjugibus ex parcho monitione facta, gravissimum aliquod damnum iisdem obveniret? In hoc certe discrimine aliud fortasse remedium meo iudicio non suppeteret quam, vel ut se ad remotas terras transferrent, vel ita caute se invicem frequentarent ut quælibet mali consortii suspicio penitus adimi posset. Quod si nec hæc sine gravissimo incommodo adhiberi possent, notissimum est divino, sub pœna damnationis æternæ, obstringi præcepto, quodcumque potius malum ac mortem ipsam subire quam Deum offendere.

» In pluribus Germaniæ locis, matrimonium conscientie vocatur matrimonium morganaticum, seu ad morganaticam contractum; cum videlicet vir nobilis, defuncta prima uxore pariter nobili, susceptisque ex ea liberis, ad vitandum periculum incontinentiæ nubit cum fœmina inferioris conditionis coram parcho et testibus, dispensatis tamen denuntiationibus, sed eo pacto ut tam ista quam liberi ex eis nascituri contenti sint alimentis duntaxat, habeanturque extranei ab omnibus titulis, dignitatibus, insignibus, ac paternorum avitorumque honorum successione, ut statuitur lib. II *Feudorum*, tom. XXIX. Circa hoc matrimonium ejusque validitatem adeant scriptores Germani inter quos Remigius Maschat Scholar. piar. *Instit. canon.* a me novissime cum addit, typis editæ, lib. IV, t. V, de condit. apposit. in despons. n. 24. Adeatur etiam liber singularis *De matrimoniis conscientie*, Francisci Mazzei, a cap. XIII ad XX, nuper editus Romæ, 1766. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 674.)

ADNOTATIO LXXIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. III, § I, n. 51; pag. 403.

DE PÆNIS INCURSIS IN CASU MATRIMONII CELEBRATI NON FACTIS DENUNTIATIONIBUS.

» In decretali *Cum inhibitio*, cap. 3, huj. tit. § *Sane*, parcho aut etiam cuilibet regulari præsumenti interesse matrimonio, cui legitima non præcesserint denuntiationes, infligi jubetur pœna suspensionis ab officio, triennio duratura, aut etiam gravior, a qua quidem suspensione, postquam ab episcopo lata est, nequit quis absolvi nisi per Papam, cum ejus tempus sit a jure determinatum, ut cum communi notavi in *Addit. ad Thesaurum De pœnis ecclesiast.* cap. vi, vº *Matrimonium*.

» Si autem quæras quid veniat nomine officii respectu sacerdotis regularis, a quo et ipse hic suspendi jubetur per triennium; laudatus Thesaurus, cap. ii, vº *Simonia* 10, cum communi doctorum asserit in materia pœnali venire officium habens jurisdictionem ecclesiasticam, seu regimen spirituale ut prioris, guardiani, generalis, provincialis, etc.

« Sed quid si regularis, hujusmodi delicti reus, nullo ex his fungatur officio? liber exit ne ab omni pœna? certum est in hoc casu non posse dari locum executioni præfate suspensionis, quæ est ferendæ sententiæ, cum agatur de subjecto incapaci propter carentiam officii ut supponitur. Verum ne dicamus Innocentium voluisse ut impunitus remaneret, puniendum esse pœna arbitraria leviori vel graviori juxta minorem vel majorem culpæ et præsumptionis qualitatem, ut idem Innocentius hic puniri præcepit, » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, lib. I, sect. 675.)

« Ipsi vero contrahentibus, quia Ecclesiæ mandatum in re sane gravi contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam in eod. cit. § finali statuitur. Testibus tamen qui ejusmodi matrimoniis assistunt nulla pœna neque a concilio Lateranensi neque a Tridentino reperitur imposita; et nihilominus pleræque diœcesanæ synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quamvis porro Soto in IV, dist. XXVIII, quæst. I, art. 2, § *Quo igitur*, absolum visum sit a particulari synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, a quo infligenda concilia generalia abstinerunt, ac proinde præfatas constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earum validitatem propugnat Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disp. XLVI, n. 8. Etenim cum testes præfati assistentiam præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquant; quapropter synodales constitutiones, eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur ac fovent, sicuti animadvertit Fagnan. in cap. *Sicut olim*, n. 78, *De accusat.*, ubi loquens de synodo provinciali quæ, in re quam in præsens versamus, non plus auctoritatem habet quam diœcesana, ait: « Non tamen horum potestas adeo restringitur » quin multa statuere possint circa ea quæ totam » provinciam concernunt, præter jus commune... » suisque decretis jus commune adjuvare, addendo » novas pœnas vel antiquas augendo. » (Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. XII, cap. vi, n. 2.)

Idem tamen Pontifex, loc. cit. cap. v, n. 4, animadvertit quod statuere quidem potest pœnam excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen adjecta declaratione ut statim evitandi sint, licet non fuerint publicæ et nominatim denunciati.

Possunt etiam contrahentes, omissis denuntiationibus, puniri pœna pecuniaria, piis locis applicanda, ut declaravit Congr. conc. in *Florentina*, 17 febr. 1629, lib. *Decretor.* XVII, pag. 35. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. II, sect. 414.)

ADNOTATIO LXXIV.

Lib. IV. Decretal. Tit. III, § III, n. 139; pag. 422.

DE MATRIMONIIS ABSENTE PAROCHO INITIS TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ.

In epistola ad episcopum Lucionensem, die 28 maii 1793 directa, nomine congregationis cardina-

lium selectæ, cardinalis F. X. de Zelada sic loquitur: « 3. Curare fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem quoad fieri possit catholicis, priusquam municipalitati se præsentent sistant ut præscriptam a nationali conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstat, et valida et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a S. C. conc. Trid. interprete. » (*Coll. brev. atque instruct. SS. D. N. Pii PP. VI quæ ad præf. Eccl. cath. in Gallia et aliis a Gallis occupat. regionibus calamitates pertinent; juxta exemplar impr. Romæ typ. R. C. A. 1800.*)

ADNOTATIO LXXV.

Lib. III. Decretal. Tit. III, § III, n. 151; pag. 424.

DE MATRIMONIO IN FRAUDEM CONTRACTO IN LOCO UBI CONCILIIUM TRIDENT. NON EST PROMULGATUM.

« Nullum est matrimonium, si contractum fuerit sine parochi et testibus a transeuntibus per locum in quo Tridentinum in puncto matrimonii non est promulgatum, vel ad illum a se transferentibus solo animo contrahendi sine parochi et testibus, non mutato domicilio, ex declaratione Congr. Conc. 5 sept. 1626, confirmata ab Urbano VIII, in brevi edito 14 aug. 1627, et a Benedicto XIV const. *Cum venerabilis*, 19 martii 1758. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 740, appendice I, n. XIV, not. 2.)

Cf. auctorem loc. cit., § III, n. 123.

ADNOTATIO LXXVI.

Lib. IV. Decretal. Tit. IV, De sponsa duorum, n. 4; pag. 424.

DE PÆNIS INFLICTIS CONTRAHENTIBUS SECUNDUM MATRIMONIUM, DURANTE PRIMO.

« Contrahens secundum matrimonium, constante primo, denunciandus est S. Inquisitioni tanquam suspectus de heresi, et ex constit. Urbani VIII, *Magnum*, 20 jun. 1637, si falsis attestationibus deceptor curiam ecclesiasticam ad obtinendam licentiam contrahendi novum matrimonium, adhuc prima uxore vivente, ultra pœnas quibus hujusmodi polygamii puniri solent, damnandus est ad triremes in perpetuum. Quod si inhabilis sit, publice est fastigandus, ad perpetuosque carceres damnandus. Ulterius tradendus est curiæ sæculari arbitrio S. C. Univ. Inquisit. si pro qualitate et gravitate delicti graviores mereatur pœnas. Hanc autem constitutionem non fuisse usu receptam, saltem quoad traditionem curiæ sæculari, sentit Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. IX, cap. vi, n. 8. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 677.)

ADNOTATIO LXXVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. IV, n. 19; pag. 428.

AN IMPEDIMENTUM EX SPONSALIBUS METU INITIS ORIATUR?

Vide Adnotationem LXXVII hujusce voluminis, supra.

ADNOTATIO LXXVIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt, n. 16; pag. 442.

DE SACERDOTIBUS QUI TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ MATRIMONIUM ATTENTARUNT.

In litteris apostolicis *Ecclesia Christi*, datis die decimo octavo ante kalendas septembris 1801, sic loquitur san. mem. Pius PP. VII: « Nolumus etiam paternæ nostræ charitatis non esse participes eos ecclesiasticos viros qui, in sacris constituti, matrimonia attentarunt, sive qui a proprio instituto publice desciverunt; ideoque eorum respectu, ipsius etiam regiminis officiis obsecundantes, vestigia sequemur rec. mem. prædecessoris nostri Julii III, quemadmodum in nostris litteris in forma brevis hac eadem die datis pro eorum spirituali salute providetur. »

Breve datum sub die decimo octavo ante kalendas 1801, in gratiam sacerdotum, qui misere in sinistram viam declinaverant, nullibi legere potuimus, nec in bullario magno, nec in collectionibus specialibus quæ anno 1802 et sequentibus evulgatæ sunt sive Parisiis sive Romæ. Quidquid sit, certum est indulta sæcularisationis fuisse concessa pluribus sacerdotibus, etiam regularibus, cum dispensationibus necessariis et opportunis ut matrimonia ab iis attentata, forma concilii Tridentini rite adhibita, convalidarentur.

ADNOTATIO LXXIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, n. 19; pag. 442.

DE PÆNIS INCURSIS AB EIS QUI IN SACRIS CONSTITUTI MATRIMONIUM CONTRAHUNT.

« A Clemente V festus excommunicatio ipso facto incurrenda tam a matrimonium, duntaxat etiam ratum, scienter contrahentibus cum moniali, quam ab hac, atque a religiosis professis et clericis constitutis in sacris, præcipiturque ecclesiarum prælatis ut hos omnes, quos sibi constiterit sic contraxisse, excommunicatos publice nuntient vel nuntiare faciant, donec separentur et absolutionem meruerint obtinere. Accessit insuper praxis tribunalis S. Inquisitionis a quo hujusmodi rei, præter suspensionem et irregularitatem quam res-

pective incurrunt ex Alexandri decretali *De diacono*, cap. 4 huj. tit. puniuntur tanquam suspecti de hæresi, vel de vehementi vel de levi, juxta facti circumstantias, ita ut hodie, etiam post peractam pœnitentiam et triennem emendationem, non sit amplius in potestate episcopi, prout permiserat Alexander, eos super irregularitate dispensare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 686.)

ADNOTATIO LXXX.

Lib. IV. Decretal. Tit. VI, n. 26; pag. 445.

DE MORE VESTIBUS SÆCULARIBUS EXUENDI ET QUIDEM PUBLICE PUELLAM HABITUM MONASTICUM SUSCEPTURAM.

« Nota plurimis in locis morem invaluisse ut puella monasticum habitum susceptura, pretiosis sæcularibus vestibus in publica ecclesia exuta, illum ibidem a superiore, ad id potestatem habente, reciperet. Verum ut tam ejusdem puellæ quam adstantium pudori magis consuleretur, Benedictus XIV districte prohibuit ne amplius in publica ecclesia dictis vestibus exueretur, sed intra septa monasterii, in crate nempe exteriori ecclesiæ, ut ex edicto Eminentiss. Urbis vicarii, ejusdem Pontificis jussu publicato sub die 13 oct. 1753, ut videre est in secretaria tribunalis laudati vicarii.

» Hæc eadem prohibitio est in viridi observantia, nedum Romæ, sed etiam in quampluribus diœcesibus, et inter cæteras Viterbiensi, ex mandato Clementis XIII feliciter regnantis ut in epistola sub die 6 sept. 1758 ad illius Eminentiss. episcopum per organum secretariæ Status transmissa, cum expressa declaratione ut idem omnino servetur in monasteriis omnium monialium, etiam regularibus subjectarum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 689.)

ADNOTATIO LXXXI.

Lib. IV. Decretal. Tit. VII, De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, n. 27; pag. 448.

AN SPURII ALENDI SINT A PARENTIBUS?

« Decretalis *Cum haberet*, cap. 5 huj. tit. est singularis, ut hic notat Panormitanus, cum nullibi in toto jure canonico sancitum reperitur quod filii spurii, vel nati ex damnato concubitu, alendi sint a parentibus contra juris civilis rigorem id prohibentis; Authen. *Ex complexu*, C. *De incestis et nupt.* Quem rigorem ita redarguit Baldus, consil. CCCCLVIII, n. 10, ut recte dixerit « jus » civile tantum amare castitatem ut hac in re » destruxerit pietatem. »

» Controverti solet a doctoribus an in terris im-